



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 2. Qualitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

300 DE MAGNO REGNO HVNGARIÆ,
hoc est regio *Vinidorum*, quia *Vinidi*, seu *Venedæ* cum *Slavis*
iuncti eò penetrarunt. Olim autem complectebatur *Croaciam* &
Dalmatiam, nunc fluminibus *Sauo* & *Drauo* restringitur.

N V M. 2. *Qualitas.*

AER hîc serenissimus; terra miræ fertilitatis, quia fluuiis egre-
giè eluitur: vnde, quod mirum, inter *Turcicos* tumultus frumen-
to, pecore, & armentis diues.

N V M. 3. *Mores.*

ANTIQRORVM *Slauorum* mores ex libro 3. *Procopij* de rebus
Gothicis repetes, ex quo hæc pauca. Omnes ferè subruffo capillo,
neque callidi, neque malitiosi: peregrinos humaniter accipiebant,
in quos omnia sua liberaliter effundebant, ex quâ profusione pen-
debat corum fortitudo apud populares: immo hæc, furta excu-
sabat. Si quis autem domo suâ exclusisset hospitem, domus eius à
quouis poterat inflammari. Degebant in casis vilioribus, quas sæ-
pe mutabant. Cæterùm piratæ crudeles, & vicinis intolerabiles:
ita *Slavi* veteres. Nunc autem proximè ad *Turcas* accedunt: om-
nes bellicosi, & id vnum orant Deum, vt armati moriantur, & in
bello; optant autem inimicis mortem domi, & in lectulo. Rerum
nouarum amantiores sunt, ideò facilè concitant seditiones. Du-
plici vtuntur Alphabeto *Cyrilli*, vulgò *Chiuriliza*, seu *Ruthenico*
vix à *Græco* dissidenti, & *S. Hieronymi*, vulgò *Buchviza*, seu *Dal-*
matico 32. vel 33. literarum.

N V M. 4. *Politia.*

PARTIM est *Austriaci* ob regnum *Hungariæ*, partim *Turci-*
ci iuris; sed quia inter *Germanos* & *Ottomanos* pax infida, con-
uenere *Principes* sub initium huius sæculi vt causæ omnes, & li-
tes de incursionibus à *Præfectis*, *Agrauenfi*, *Arrabonenfi*, & *Bu-*
densi dirimerentur; nec sœdus abruptum censeretur, nisi bellica
tormenta educerentur.